

PROLOGUS.

& de ejus tortuositate dicitur. Isai. xxvii. 1. „ Visitabit Dominus in gladio suo duro, & grandi, & for- „ ti super Leviathan serpentem vectem, & super Leviathan serpentem tortuosum, & occidet eum. „ Rec- te ergo coelos spiritus ornasse dicitur: quia in creaturis quae suum ordinem servaverunt, & divina boni- tas clarius resplendet, & decoris ornatus immutatus non est. Recte etiam dicitur coluber tortuosus ma- nu obstetricante educus: quia in malis relucet etiam divina potentia per hoc quod cohibentur, & divina providentia per hoc quod eorum mala ordinantur in bonum. Et sic pater materia hujus secundi Libri, in quo de institutione creaturarum agitur, & lapsu per peccatum Angeli, vel hominis.

LIBER SECUNDUS SENTENTIARUM.

DISTINCTIO I.

Unum esse rerum principium ostendit, non plura, ut quidam putaverunt.

Creationem rerum insinuans Scriptura, Deum esse creatorem, initiumque temporis, atque omnium vi- sibilium, vel invisibilium creaturarum, in primordio sui ostendit, dicens: „ In principio creavit Deus „ coelum, & terram. „ His etenim verbis Moyses spiritu Dei afflatus, in uno principio a Deo Creatore mun- dum factum refert, elidens errorem quorundam plura sine principio fuisse principia opinantium. Plato namque (in Timaeo cap. vii. secundum sectionem Mars. Picini in comm.) tria initia fuisse existimavit, Deum scilicet, & exemplar, & materiam; & ipsa increata sine principio; & Deum quasi artificem; non creatorem. Creator etenim est qui de nihilo aliquid facit, & creare proprie est de nihilo aliquid facere; facere vero non est modo de nihilo aliquid operari, sed etiam de materia. Unde & homo; vel Angelus di- citur aliqua facere, sed non creare; vocaturque factor, sive artifex, sed non creator: hoc enim nomen soli Deo proprie congruit, qui & de nihilo quaedam, & de aliquo aliqua facit. Ipse est ergo creator, & opifex, & factor; sed creatoris nomen sibi proprie retinuit, alia vero nomina etiam creaturis communicavit. In Scri- pturis tamen saepe creator accipitur tamquam factor, & creare sicut facere, sine distinctione significationis.

Quod haec verba facere, & agere non dicuntur de Deo secundum eam rationem qua dicuntur de creaturis.

Verumtamen sciendum est, haec verba, scilicet creare, facere, & agere, & alia hujusmodi de Deo non posse dici secundum eam rationem qua dicuntur de creaturis. Quippe cum dicimus eum aliquid facere, non aliquem in operando motum illi intelligimus inesse, vel aliquam in laborando passionem, si- cut nobis solet accidere; sed ejus sempiternae voluntatis novum aliquem significamus effectum, id est aeterna ejus voluntate aliquid noviter existere. Cum ergo dicitur aliquid facere, tale est ac si dicatur, juxta ejus voluntatem, vel per ejus voluntatem, aliquid noviter contingere, vel esse, ut in ipso nihil novi con- tingat; sed novum aliquid sicut in ejus aeterna voluntate fuerat, fiat sine aliqua sui motione, vel mutatio- ne. Nos vero operando mutari dicimur, quia movemur: non enim sine motu aliquid facimus. Deus ergo facere, vel agere aliquid dicitur, quia causa est omnium rerum noviter existentium, dum ejus voluntate res novae esse incipiunt, quae ante non erant, absque ipsius agitatione, ut actus proprie dici non queat, cum videlicet actus omnis in motu consistat. In Deo autem motus nullus est. Sicut ergo ex calore solis aliqua fieri contingit, nulla tamen in ipso, vel in ejus calore facta motione, vel mutatione; ita ex Dei volunta- te nova habent esse sine mutatione actoris, qui est unum, & solum principium omnium. Aristoteles ve- ro (II. de gener. text. li. & VIII. Phys. text. iv. & I. de Caelo, & mund. text. ci.) duo principia dixit, scilicet materiam, & speciem, & tertium (1) operatorium dictum: mundum quoque semper esse, & fuisse;

Quod catholicum est, docet.

Horum ergo, & similium errorem Spiritus Sanctus evacuans, veritatisque disciplinam tradens, Deum in principio temporum mundum creasse, & ante tempora aeternaliter extitisse significat, ipsius aeter- nitatem, & omnipotentiam commendans, cui voluisse facere est: quia, ut praediximus, ex ejus voluntate, & bonitate res novae existunt. (2) Credamus igitur, rerum creaturarum caelestium, vel terrestrium, visibili- um, vel invisibilium, causam non esse nisi bonitatem Creatoris, qui est Deus unus & verus: cujus tanta est bonitas ut summe bonus beatitudinis suae, qua aeternaliter beatus est, alios velit esse participes; quam vidit & communicari posse, & minui omnino non posse. Illud idem igitur bonum quod ipse erat, & quo beatus erat, sola bonitate, & non necessitate aliis communicare voluit: quia summe boni erat prodesse velle, & omnipotentissimi (3) nocere non posse.

Quare rationalis creatura facta sit.

Et quia non valet ejus beatitudinis particeps existere aliquis, nisi per intelligentiam (quae quanto magis intelligitur, tanto plenius habetur) fecit Deus rationalem creaturam, quae summum bonum intelligeret, & intelligendo amaret, & amando possideret, ac possidendo frueretur: eamque hoc modo distinguit, ut pars in sui puritate permaneret, nec corpori uniretur, scilicet Angeli, pars corpori uniretur, scilicet ani-

(1) Al. operationem. (2) Addit Nicolai per parenthesis: (Unde Augustinus de diligendo Deo cap. 2. vel alius quispiam verus Actor inter ejus opera Tom. IX.) (3) Nicolai noceri.

DISTINCTIO I.

animae. Distincta est itaque rationalis creatura in incorpoream, & corpoream: & incorporea quidem An- gelus, corporea vero homo vocatur, ex anima rationali, & carne subsistens. Conditio ergo rationalis crea- turae primam causam habuit Dei bonitatem.

Quare creatus sit homo, vel Angelus.

Ideoque si quaeritur, quare creatus sit homo, vel Angelus; brevi sermone responderi potest: Propter bonitatem ejus. Unde Augustinus in Lib. I. de Doctrina christ. (cap. xxxii.) „ Quia bonus est Deus, „ sumus; & in quantum sumus, boni sumus.

Ad quid creata sit rationalis creatura.

Et si quaeritur, ad quid creata sit rationalis creatura; (1) responderetur: Ad laudandum Deum, ad ser- viendum ei, ad fruendum eo: in quibus proficit ipsa, non Deus. Deus enim perfectus, & summa bonitate plenus, nec augeri potest, nec minui. Quod ergo rationalis creatura facta est a Deo, referen- dum est ad Creatoris bonitatem, & ad creaturae utilitatem.

Brevissima responsio, cum quaeritur, quare, vel ad quid facta sit rationalis creatura.

Cum ergo quaeritur, quare, vel ad quid facta sit rationalis creatura; brevissime responderi potest: Propter Dei bonitatem, & suam utilitatem. Utile nempe ipsi est servire Deo, & frui eo. Factus ergo Angelus, sive homo propter Deum dicitur esse, non quia creator Deus, & summe beatus, alterutrius indigeret officio, qui bonorum nostrorum non eget; sed ut serviret ei, ac frueretur eo, cui servire reg- nare est. In hoc enim proficit serviens, non ille cui servitur.

Sicut factus est homo, ut Deo serviret, sic mundus ut serviret homini.

Et sicut factus est homo propter Deum, id est ut ei serviret; ita mundus factus est propter hominem, ut ei serviret. Positus est ergo homo in medio, ut & ei serviretur, & ipse serviret; ut acciperet utrum- que, & reflueret totum ad bonum hominis, & quod accepit obsequium, & quod impendit. Ita enim vo- luit Deus sibi ab homine serviri, ut ea servitute non Deus, sed homo serviens juvaretur: & voluit ut mun- dus serviret homini, & exinde similiter juvaretur homo. Totum igitur bonum hominis erat, & quod factum est propter ipsum, & propter quod factus est ipse. Omnia enim, ut ait Apostolus, nostra sunt, scilicet & superiora, & aequalia, & inferiora. Superiora quidem nostra sunt, scilicet ad perfruendum, ut Deus Tri- nitas: aequalia ad convivendum, scilicet Angeli: qui etsi modo nobis sint superiores, in futuro erunt aequa- les; qui & modo nostri sunt, quia ad usum nobis sunt: sicut res dominorum dicuntur esse famulorum, non dominio, sed quia sunt ad usum eorum. Ipsique Angeli in quibusdam Scripturae locis nobis servire dicun- tur, dum propter nos in ministerium mittuntur.

Quomodo aliquando dicitur in Scriptura: Homo factus est propter reparationem angelici casus.

De homine quoque in Scriptura interdum reperitur quod factus sit propter reparationem angelicae ruinae: quod non ita est intelligendum quasi non fuisset homo factus, si non peccasset Angelus; sed quia inter alias causas, scilicet praecipuas, haec etiam nonnulla extitit. Nostra igitur sunt superiora, & aequalia; nos- tra etiam sunt inferiora, quia ad serviendum nobis facta.

Quare ita sit homo institutus, scilicet ut anima sit unita corpori.

Solet etiam quaeri, cum majoris dignitatis esse videretur anima, si absque corpore permansisset, cur unita sit corpori. Ad quod primo dici potest: Quia Deus voluit, & voluntatis ejus causa quaerenda non est. Secundo autem dici potest, quia ideo Deus voluit eam corpori uniri, ut in humana conditione os- tenderet novum exemplum beatae unionis quae est inter Deum & spiritum, in qua diligitur ex toto corde, & videtur facie ad faciem. Putaret enim creatura se non posse uniri Creatori suo tanta propinquitate ut eum tota mente diligeret, & cognosceret, nisi videret spiritum, qui est excellentissima creatura, tam in- firmam, id est carnem, quae de terra est, in tanta dilectione uniri, ut non valeat arctari ad hoc ut velit eam re- linquere, sicut Apostolus ostendit dicens (II. Corinth. v. 4.) „ Nolumus (2) corpore expoliari, sed super- „ vestiri: „ per quod ostenditur spiritum creatum spiritui increato ineffabili amore uniri. Pro exemplo igitur futurae societatis quae inter Deum & spiritum rationalem in glorificatione ejusdem perficienda erat, ani- mam corporeis indumentis, & terrenis mansionibus copulavit, luteamque materiam fecit ad vitam sensum vegetare, ut sciret homo, quia, si potuit Deus tam disparem naturam corporis, & animae in federationem unam, & in amicitiam tantam conjungere, nequaquam ei impossibile futurum rationalis creaturae humili- tatem, licet longe inferiorem, ad suae gloriae participationem sublimare. Quia ergo pro exemplo rationalis spiritus in parte usque ad consortium terreni corporis humiliatus est, ne forte in hoc nimis depressus videretur, addidit Dei providentia, ut postmodum eam eodem corpore glorificato ad consortium illorum qui in sua persisterant puritate, sublimaretur: ut quod minus ex dispositione Creatoris sui acceperat conditus, post- modum per gratiam ejusdem acciperet glorificatus. Sic ergo conditor noster Deus rationales spiritus varia sorte pro arbitrio voluntatis suae disponens, illis quos in sua puritate reliquerat, sursum in caelo mansionem,

In II. Sent. Thom. II. A 2 illis (1) Addit Nicolai (ex Augustino rursus de diligendo Deo). (2) Vulgata omittit corpore.

illis vero quos corporibus terrenis sociaverat, deorsum in terra habitationem constituit, utrisque regulam imponens obedientiæ; quatenus & illi ab eo ubi erant non caderent; & isti ab eo ubi erant, ad id ubi non erant, ascenderent. Fecit itaque Deus hominem ex duplici substantiâ, corpus de terra fingens, animam vero de nihilo faciens. Ideo autem unitæ sunt animæ corporibus, ut in eis Deo famulantes, majorem mereantur coronam.

Post sacramentum Trinitatis de creatura tripartita est agendum, & prius de digniori; idest angelica.

EX præmissis apparet rationalem creaturam in angelicam, & humanam fuisse distinctam; quarum altera est tota spiritualis, idest angelica, altera vero ex parte spiritualis, & ex parte corporalis: idest humana. Cum itaque de his tractandum sit, scilicet de spiritali, & corporali creatura, & de rationali, & de non rationali: primo de rationali, & spiritali, idest de Angelis agendum videtur, ut à contuitu Creatoris ad cognitionem creaturæ dignioris ratio nostra intendat; deinde ad considerationem corporeæ tam illius quæ est rationalis, quam illius quæ non est rationalis, descendat: ut Trinitatis increatæ sacramentum tripartitæ creaturæ, eique concretorum, atque contingentium sequatur documentum.

DIVISIO PRIMÆ PARTIS TEXTUS.

Dividitur ergo Liber iste in partes duas. In prima determinat de creaturis in communi, in secunda determinat de eis in speciali, quantum ad considerationem Theologi pertinet. (1) Secunda dist. 11. ibi, *De angelica itaque natura, hæc primo consideranda sunt.* Prima in duas. In prima determinat de creaturis secundum exitum earum à principio; in secunda determinat de eis secundum ordinem earum in ultimum finem, ibi: *Credamus ergo rerum creaturam... causam non esse nisi bonitatem Creatoris.* Prima dividitur in tres. In prima inducit auctoritatem, quæ ostensa veritate omnium, errorem excludit; secundo prosequitur errores, qui per auctoritates confirmantur: ibi, *Plato namque tria initia existimavit; tertio concludit veritatem, ibi: Horum ergo, & similibus errorem Spiritus Sanctus evacuat, veritatisque disciplinam tradens, Deum in principio temporum mundum creasse, & ante tempora æternaliter existisse significat.* Circa primum duo facit. Primo tangit errorem Platonis; secundo errorem Aristotelis: ibi *Aristoteles vero duo principia dixit.* Circa primum facit duo. Primo ostendit quomodo per auctoritatem Scripturæ refellitur error Platonis, tum propter multitudinem principiorum, tum propter negationem creationis; secundo removet quamdam dubitationem ex dictis, ibi: *Verum tamen sciendum est, hæc verba, scilicet creare, facere, agere, & alia hujusmodi de Deo non posse dici secundum eam rationem qua dicuntur de creaturis.*

QUÆSTIO I.

Ad evidentiam hujus partis quærentur hic sex. Primo. Utrum sit tantum unum primum principium.

Secundo. Utrum ab illo principio res per creationem effluerunt.

Tertio. Utrum tantum ab ipso res per creationem prodierunt, an etiam ab aliquibus principiis secundis.

Quarto. Si non per creationem, utrum alio quolibet modo unum possit esse causa alterius.

Quinto. Utrum res ab æterno creatæ fuerunt.

Sexto. Supposito quod non quomodo dicitur Deus in principio cælum, & terram creasse.

(S) Nicolai addit Prima ibi, *Creationem rerum insinuans Scriptura &c.*

ARTICULUS I.

Utrum sint plura prima principia.

I. P. quæst. XLV. art. 1. & I. cont. Gent. cap. XLIII. & de pot. quæst. 111. art. 6.

1. AD primum sic proceditur. Videtur quod sint plura prima principia. Quia secundum Philosophum II. Cæli & Mundi (text. xviii.) si unum contrarium fuerit in natura, & reliquum. Sed summum malum est contrarium summo bono, sicut & malum bono. Ergo cum sit quoddam summum bonum, quod est principium primum omnium bonorum, videtur quod sit & unum summum malum, quod est principium primum omnium malorum: & sic erunt duo prima principia.

2. Præterea. Omne quod fit, vel ipsum est primum principium, vel est ab aliquo principio, sicut in II. Physic. (text. xxx.) dicitur. Sed aliquod malum fit in mundo. Si ergo ipsum non sit primum principium (quia hoc dato, haberetur propositum) oportet quod sit ab aliquo principio. Sed non à bono, quia bonum est destructivum mali, & non causa ejus, sicut nec calidum frigidum; & eadem ratione illius mali, si non sit primum principium, erit alterum malum principium primum: non est enim in principiis, vel causis procedere in infinitum ut probatur II. Metaph. (text. v.) Ergo videtur quod oportet devenire ad primum malum, quod sit principium omnis mali; & sic haberetur propositum.

3. Si dicas, quod malum non habet principium; sed accidit præter intentionem alicujus principii agentis; contra. Omne quod accidit præter intentionem agentis, est casuale, & in paucioribus. Sed malum invenitur ut in pluribus, ut in II. Topic. (cap. 11.) dicitur. Ergo videtur quod malum sit intentum, & habeat per se principium.

4. Præterea. Quæ sunt ab uno principio, habent conformitatem ad invicem: quia principium imitatur principium. Sed in rebus reperitur magna contrarietas, & diversitas. Ergo oportet eam in principia contraria reducere.

5. Præterea. Materia, & agens numquam incidunt in idem, ut in II. Physic. (text. lxx.) dicitur: nec etiam agens, & forma in idem numero. Sed res habent principia & formalia, & materialia, & activa, & in singulis est devenire ad unum primum, ut in II. Metaph. (à text. v. ad xlii.) probatur. Ergo oportet ponere multa prima principia.

Sed contra. Omnem multitudinem præcedit unitas:

tas: quia pluralitas ex unitate nascitur. Si ergo ponantur plura principia, oportet eis esse prius unum principium. Sed primo non est aliquid prius. Ergo impossibile est ponere plura prima principia.

Præterea. Quæcumque conveniunt in aliquo, & in alio differunt, oportet esse composita. Sed si ponantur plura prima principia, oportet ea in aliquo convenire, ex quo habent rationem principii, & cum sint plura, in aliquo differre. Ergo oportet ea esse composita. Sed nullum compositum est primum. Ergo impossibile est esse plura prima principia.

Præterea. Si essent plura principia prima, aut essent similia, aut contraria. Si similia, aut utrumque per se sufficiens, & sic alterum superflueret; aut utrumque per se insufficiens, sed conjuncta sufficerent ad principiandum res; & sic non essent prima principia: tum quia indigerent conjungente quod esset prius eis: tum quia agerent per aliud additum essentia, scilicet per conjunctionem ipsam; & nullum tale est principium primum. Si autem sunt contraria, omne autem contrarium destruit, & impedit contrarium suum: ergo si sint æqualis potentia, unum impedit alterum; adeo quod nullis sequeretur effectus. Si vero alterum fuerit potentius, omnino destruet alterum. Ergo impossibile est esse plura prima principia.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod primum dicitur dupliciter, scilicet primum simpliciter, & primum in genere, vel in ordine aliquo. Si secundo modo sic: secundum genera (1) plura causarum sunt plura prima principia ut materiale primum, quod est materia (2) prima, & primum formale, quod est esse, & sic de aliis; & ulterius descendendo ad diversa (3) rerum genera, inveniuntur diversa prima principia in diversis etiam secundum idem genus causæ; sicut in liquabilibus prima materia est aqua, & in aridis terra, & in animalibus semen, vel menstruum. Sed primum simpliciter impossibile est esse nisi unum: & hoc tripliciter patet. Primo ex ipso ordine universi, cujus partes inveniuntur ad invicem ordinatæ esse, quasi partes animalis in toto, quæ sibi invicem deserviunt. Talis autem coordinatio plurium non est, nisi unum aliquod intendat. Ergo oportet esse unum summum bonum ultimum, quod ab omnibus est desideratum, & hoc est primum principium. Aliter apparet ex ipsa rerum natura. Invenitur enim in omnibus rebus natura entitatis, in quibusdam magis nobilis, & in quibusdam minus; ita tamen quod ipsarum rerum naturæ non sunt hoc ipsum esse quod habent: alias esse (4) esset de intellectu cujuslibet quidditatis, quod falsum est, cum quidditas cujuslibet rei possit intelligi esse, non intelligendo de ea an sit. Ergo oportet quod ab aliquo esse habeant, & oportet devenire ad aliquid cujus natura sit ipsum suum esse: alias in infinitum procederetur: & hoc est quod dat esse omnibus, nec potest esse nisi unum, cum natura entitatis sit unius rationis in omnibus secundum analogiam: unitas enim causati requirit unitatem in causa per se, & hæc est via Avicennæ (VIII. Metaph. quasi per totum.) Tertia via est ex immaterialitate ipsius Dei. Oportet enim causam moventem cælum esse virtutem non in materia, ut in VIII. Physic. (text. lxxviii. usque in fin.) probatur. In his autem quæ sunt sine materia, non potest esse diversitas, nisi secundum quod natura unius est magis comple-

ta, & in actu existens quam natura alterius. Ergo oportet quod illud quod venit ad perfectionem complementi, & puritatem actus, sit unum tantum, à quo proficiscatur omne illud quod potentia admixtum est: quia actus præcedit potentiam, & complementum diminutum, ut in IX. Metaph. (text. xliii.) probatur.

Circa hoc tamen tripliciter est erratum. Quidam enim, ut primi naturales, non posuerunt nisi causam materiale: unde qui ex eis plura principia materialia posuit, plura principia simpliciter dixit prima. Quidam vero cum causa materiali posterunt etiam causam agentem, & dixerunt duo contraria esse prima agentia, scilicet Empedocles (VIII. Physic. text. 11.) ut amicitiam, & litem: & huic consonat opinio Pythagoræ (I. Metaph. cap. v.) qui divisit omnia entia in duos ordines, & unum ordinem reduxit in bonum, sicut in principium, & alterum in malum: & exinde pullulavit hæresis Minichæorum, qui ponunt duos Deos, unum creatorem bonorum invisibilium incorporealem novi testamenti, alium creatorem visibilium corporalium veteris testamenti (ex August. Lib. de mor. Eccl. cap. x.) Tertius error fuit eorum qui posuerunt agens, & materiam; sed agens non esse principium materiæ, quamvis sit unum tantum agens: & hæc est opinio Anaxagoræ, & Platonis (in Phedone, Timæo, & Parmenide clarior) nisi quod Plato superaddidit tertium principium, scilicet (5) ideas separatas à rebus, quas exemplaria dicebat; & nullam esse causam alterius, sed per hæc tria causari mundum, & res ex quibus mundus constat.

Ad primum ergo dicendum, quod summum malum non contrariatur summo bono secundum rem, sed solum secundum vocem propter duo. Primo quia summum malum esse non potest: nihil enim est adeo malum in quo non sit aliquid boni, ad minus esse: & ideo dicit Philosophus in IV. Ethic. (cap. xliii.) quod si esset adeo perfectum malum quod proveniret ex corruptione omnium circumstantiarum, nec seipsum sustinere posset. Secundo quia illi bono quod nullo modo potest auferri, vel minui, nihil opponitur privative, vel contrarie: unde nec ipsum particulare malum opponitur summo bono directe, sed particulari bono, quod per ipsum privatur. Et dico aliquid directe opponi alteri, quando opponitur ei secundum quod hujusmodi: sicut nigredo manus opponitur albedini manus directe; sed indirecte opponitur etiam albedini parietis, non in quantum est nigredo, vel albedo hujus, sed in quantum est albedo simpliciter, per quem modum cuilibet bono quodlibet malum opponitur, non secundum propriam rationem hujus, vel illius, sed secundum communem rationem boni, & mali: & sic si malum summo bono opponatur, hoc erit indirecte: quia non opponitur ei, in quantum est tale bonum, sed in quantum bonum.

Ad secundum dicendum, quod malum non habet causam, nisi per accidens dupliciter. Primo modo scilicet secundum quod agens per accidens dicitur respectu ejus quod accidit præter intentionem agentis: quia omne agens agit propter finem, & intendit bonum, quod est finis, & nulla privatio est intenta, sed sequitur ex forma inducta cui adjungitur: ignis enim non intendit à materia privare formam æris, sed inducere formam propriam; sed inducendo formam propriam, privat formam æris: similiter

(1) Al. deest plura. (2) Al. omittitur prima. (3) deest rerum. (4) Al. desideratur esset. (5) Al. sorte s.